


HOLMIUS
AD M. & F.
GIÖDE.













BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS



Carmen προπεμπτικὸν

NOBILITATE GENERIS, ERVDITIONE, ET VIRTVTE PRÆstantissimis, D. Magno Giöde, D. Falchoni Giöde Dominis de Schiersœe, D. Erico Lange de Engelstholm, Et viro doctissimo ac humanissimo D. Magistro Seuerino Schött Grenonensi scriptum cum Viteberga in patriam abirent Mense Septemb. Anno 1573.

A

IACOBO IOHANNE HOLMIO.



VITEBERGÆ

EXCVDEBAT IOHANNES CRATO,

ANNO M. D. LXXIII.

CARMEN ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚῸΝ.

σὺν θεῷ καὶ τύχῃ ἀγαθῇ.

Vesper erat quando radijs hyperione natus
Flammiger, antipodas primum lustrabat, & ipsa
Cassiopea nouam cœpit dispergere lucem
purpuream, fuit ista nouo gemmata decore,
Ætas impunè vidit quem nulla, cometæ:
Sub cœlo residens per amica silentia lunæ
Omnia voluebam crebris singultibus isthæc,
Quæ demissa dedit retro labentibus annis
Tisiphone, egredieus horrendi ditis ab antro
Concomitata suis furijs: ea mille minata est
Vastaturam arces & opes, diroq; daturam
Christiadum exidio populos, confecit & illud
Prosternens fortemq; marem miseramq; puellam.
Somnus detraxit me hæc tristia fata volentem
Deplorare, solet tranquilla obliuia somnus
Suppeditare silens, membris animoq; vigorem.
Straui corpus humi, prætensaq; brachia mento
Supposui, cerebro cum debilitata calorem
Vitalis virtus residet quæ corde negaret,
Ipsa sibi requiem, vitæ toti atq; ministrans.
Tunc rerum species nunquam quas mente reuolui
Concipiens animo, miracula talia vidi,

Mobilis articulet verborum dædala lingua
Quæ nunquam, fortè & luserunt somnia mentem.
Arboribus syluam tangentem sydera celsis,
Tendentemq́ comas, plenam & syluestribus herbis
Præteriens, vidi vestitum gramine montem
Aërium, ac herbis roseis, in vertice cuius
Structa erat arx celebris vallatis mœnibus alta,
Fuluo picta auro tanquam domus illa Deorum.
Passæ sponte fores pictæ, portæq́ reclusæ
Difficiles aliàs, surdæ & pulsantibus. Ipse
Ingressus vidi deceptus imagine mira
Quæ referam, sunt hæc manibus tractanda verendis.
Distinctæ solio tres consedere sorores
Sublimi paribus spacijs, diademate claræ
Gemmifero, at dirum spirantes naribus ignem
Iratæ, ceu propositum prosternere cuncta
Illis, aut nostris erroribus addere pœnam
Commeritam, super hæc constructum adamante perenni
Quæq́ colum retinens, contorsit stamina fuso
Stamina quæ metæ miseris mortalibus essent
Terminus & vitæ: pendebant omnia telis
Quæ sunt, quæ fuerant, & quæ ventura trahentur.
Extra auro portæ cælatæ, & imagine mira
Depictæ apparent, intus madefacta cruore
Limina at occurrunt: Et tanquam in faucibus orci
Vestibulum ante ipsum posuere cubilia diræ,

Vltri-

Vltrices furiæ, ac aduerso in limine bellum,
Ferreiq́ Eumenidum thalami, & discordia demens:
Occurrunt aditu in primo sic sanguine tincti
Ærati hîc postes, luctus, lethumq́, laborq́,
Crinem viperium vittis innexa cruentis.
Obstupui, sensiq́ metu riguisse capillos
Sollicito: Mox hinc solij nutare cacumen
Visum, & ob hoc pariter dictæ rupere sorores
Stamina, concutior referens quæ fata secuta.
Itur in horrendas cædes, effusa ruebat
Turba ingens, vidi iuuenumq́ senumq́ cohortem
Matres atq́ viros, præstantia corpora mille
Magnanimum heroum, pueros, pauidasq́ puellas,
Conseruisse manus, armis, vultuq́ minaci:
Conclamant arma expediat quisquis sua secum
Esse velit salua, & diris mucronibus instet.
Cernenti hæc gelido tanquam fluuialis arundo
Contremuere metu mihi viscera: Cernuus ipse
Orabam, & trepidus quamuis in vtrunq́ paratus
Vel seruare fidem, vel certæ occumbere morti.
Exaudita Deo mea vox, hic protegit agmen
Namq́ suum: Consolatum me misit & ipse
Euterpen, solet affectus vrgere salubres
Ipsa suis calamis, confestim ea talibus infit:
Fide, Deum implorans, & quæ spectacla videbas
Accipito, expediam referens ab origine paucis:

Stare dies homini fatales vulgus ab ortu,
Et fatum præceps, & ineluctabile lethum
Autumat, & parcis quod inexorabile fatum
Sit cunctis reputat: Nulli exorare sorores
Contigit has, inquit, vel neuit rumpere stamen
Improba quod Lachesis, nisi frangeret Atropos illud
Ferrea, quæ vitam miseris cum stamine rumpit.
Hæc ideò decreta adamanti incisa feruntur,
Trux maneat cunctos quod mors, summisq; negatum
Stare diu, sit eisq; grauis sub pondere lapsus.
Non Deus est noster parcarum carcere clausus
Stoicus vt reputat, vana atq; catharmata mundi
Plurima: Namq; potest Solem cohibere volantem.
Sed sinit hic agmen quod amat, quod protegit, atq;
Mater ceu puerum complectitur, aspera sæpe
Fata subire, probant madefacti sanguine postes
Illud & innocuo, quos defensoribus orbos
Pontificis rabies Latij fœdauerat: hostis
Perfidus ille Dei sæuos emittit in omnes
Oras carnifices, flammis, ferroq; minantes
Christiadum populo: vestra hic ego funera testor
Quos sceleris puros Gallorum perfida turba
De misere neci, palla ferale tegentes
Purpurea bellum: Tellus tua sanguine Galle,
Innocuo manat, tristiq; cadauere Lymphæ.
Hæc strages, hæc proditio miseranda, videbas

Quam

Quam prius, hæc Christo tum conniuente peracta est
Vindice supremo, sed post fata altera restant,
Et manet in medio victor, damnoq́ triumphans
Christus perducens animas ad gaudia cœli.
Est & cuncta potens imperdita membra suorum
Conseruare, probant exempla id plurima, quorum
Vita illæsa manet funestis cincta periclis:
Contestabuntur cari tibi sympatriotæ
Faucibus erepti tanquam crudelibus Orci,
Istis vera salus, Christo auxiliante triumphant:
Commenda numeris hæc, & gratare beatis
Sortem tam placidam, laudabunt fortè minores,
Optimum ἀλεξίκακον Christum tua scripta legentes.
Dixit, & in tenues euanida transiit vmbras.
Tunc vigil à mento somno cedente remoui
Brachia, distendens longo curuamine neruos
Somno demulsos, mirabar somnia tanta,
Mirabar mandata Deæ: modulamina linguæ,
Grata Deo primum solui, dehinc talibus orsus:
Ergo suos reduces communi Dania voto
Accepisse viros lætetur, mille periclis
Angelicis humeris gestatos, cæde nefanda,
Gallorum exemtos, qua tot cecidere cruento
Ense viri, matres, pueri, innuptæq́ puellæ,
Quot de lapsa cadunt autumni frigore primo
Pampinei folia, aut segetum numerantur aristæ

Quot cum messor agros feruenti messe perustus
Falce secat curua, aut ad terram gurgite ab alto
Quam multæ glomerantur aues, vbi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris immittit apricis.
Gratia magna Deo: Tu iubila Danica proles
Ad cœlos tolle & plausus, nam nobilitatis
Eximiæ adueniunt iuuenes, virtutibus aucti
Pluribus, exculti linguis atq; artibus illis
Queîs cum durabit florens respublica, eisdem
Posthabitis fera barbaries & auara sequentur
Dißidia, & luctus ignaui, iniusticiæq;
Queis tandem prorsus respublica pressa iacebit.
O laus vera viri didicisse fideliter artes
Ætas dum floret puerilis, easq; frequenti
Euoluisse manu. Sic sic rectè itur ad astra,
Sic colitur Deus omnipotens, respublica floret
Tali ornata viro, verè isthæc vita beata.
Nauis vt incertis ventis quassata volucris
Errat, & in scopulos cœcos propellitur, vndis
Excepta aßiduis, quando non rector habenas
Temperat assuetus, fundamina qui tenet artis
Nauigij: Impellit conuersa cuspide montem
Neptunus, venti celeres velut agmine facto
Quà data porta ruunt, totumq; à sedibus imis
Concutiunt mare naufragum, venit Eurus & asper
Africus, & vastos voluunt ad littora fluctus,

Nauem

Nauem disijciunt, quæ nunc in vertice summo
Irati pendet fluctus, nunc vnda dehiscens
Terram inter fluctus aperit, furit æstus arenis
Vanus & exoritur clamorq́, laborq́ virorum.
Sic cum dissidio & bello respub. tristi
Concutitur, pugnis validæ ciuilibus vrbes
Quassantur grauidæ, fortes Mars deijcit arces
Sanguineus, nec qui regni moderatur habenas
Artis militiæ expertus fera deijcit hostis
Fulmina, prudenti cultus sapientia & arte:
Vrbes vastantur munitæ, & diripiuntur,
Thesauri arcani, vestes, æs: cæde nefanda
Funditur innocuus sanguis, sunt plena tumultu
Omnia quisq́ suæ prædæ crudeliter instat.
At pietate grauem & meritis si fortè virum quem
Gens habeat, qui regna, vrbes, arcésue gubernet
Docto consilio, porrectis auribus astant
Iussa capessentes sapientia, floret ibidem
Pax tranquilla diu, floret respub. tota.
Tales adueniunt nunc queîs ea gloria detur,
Et laus, & pietas, patrumq́ innoxia virtus,
Tantis crimen erit vos non assurgere amicis.
MAGNE bonis animi, Clarijs è fontibus haustis
Auctus es à puero, doctas intelligis artes,
Conseruas animo vigili, recteq́ fateris
Publica neglectis violari commoda Musis.

Perge vt cœpisti, Christum cole, volue frequenti
Iura manu, cole iustitiam, patriamq́; iuuato:
Hæc te nascentem excepit, nil ergo pigebit
Pro patrijs pugnare focis, fabricator olympi
Sic te fortuna, tranquilla & pace beabit,
Conspectu ille suo tibi det cum luce potiri.
FALCHO tibi pulsare chelym, & depromere carmen
Æquum est, Nestoreos quod laudem extendat in annos,
Æternos potius: didicisti sedulus artes,
Nouisti linguas, quarum est ante omnia finis
Vt pietate Deum noscas, patriosq́; penates
Defendas: Tu velle tenes, nec posse negatur.
Iustitia & legum pietas fidissima custos
Virtutis, dehinc accedens prudentia rebus
Accessum prohibet vitijs: Tutissimus ibis
Si tibi virtutem statuas finem esse laborum.
Me ventura tuum proferre in secula ERICE
Nomen demandant, te nutriuere Camænæ
Quæ puerum, in primis Erato, committere chartis,
Illa etenim Aonijs docuit te carmina, cernens
Ingenij vires, virtutis semina, & artis.
Hæc monet vt facias benè quod facis, approbat ergo
Acta suo hortatu: Laudem tibi propria virtus
Attulit, hanc ornet pietas vitæ vtilis, atq;
Sedulitas, Multum est sacris assuescere Musis
A puero, dant spem Musæ, & solatia præbent

Ne languere sinas animum, aut rubigine lædi.
Recti viue memor, vitæ sit finis honestas.
Inclyta virtutis immittere nomina chartis
Ingenium exquirit doctum, deposcit & artem
Docte SEVERINE: At video mihi curta suppellex
Quàm sit, quæ ex ipso bona vera helycone mereri
Hactenus haud poterat, nec tu priuandus honore
Quem fortè obscurem deducto carmine: At ipsum
Doctis & placuit patribus, tibi fortè placebit,
In quo simplicitas, candor, pietasq́ relucet.
Montis lauriferi subiturus culmina (quondam
Bellopheronteus fodiens quem fonte perenni
Nobilitauit equus) vestigia nulla secutus,
Insciolusq́ rudisq́ puer, tibi Calliopea
Pieris arrisit, lassarent scrupea quando
Saxa pedes: Tacitè, non dulcia sentiet, inquit,
Dulcia semper amans & qui non gustat amara.
Inde aditum ostendit facilem, qui tramite recto
Duceret ad Musas, viridemq́ hunc gramine, nec te
Destituit cursu in medio, fastigia montis
Tecum conscendens, & adhuc comitatur euntem.
Sedula te docuit naturæ inquirere caussas
Arcanas, diuina regant vt sydera Mundum
Consociata Deo, hæc solus qui temperat, illis
Vt duo subiectis dominentur lumina, & ipsa
Diuersa officio, patris nam munere Phœbus

Fungitur in terras, matris Latonia proles,
Vt circumfuso dependeat aëre tellus
Ponderibus librata suis, sinè pondere cœli
Conuexa vtq; habitet vis ignea, proximus aër
Vt circumfundat terram, & circumfluuus humor
Emineat partim, partim penetralibus imis
Terræ includatur, quid siccos adferat æstus,
Frigora quid faciat, variet cur signifer annum
Obliquus, noctes æquet cur libra diebus,
Accendat piguem quo fomite flamma cometen,
Quid ferat & terris fato: Conceptus in auris
Formet vt aërijs ignis cum fulgure tela,
Mucrones, frameas: Tellus cur tacta tenebris
Ingemat, & qua tacta tremat formidine tanta.
Pluraq; te docuit, quæ sit distantia Thules
Quæ Latij: Nouit doctissima Pieris omnes
Terrasq;, tractusq;, maris, cœlumq; profundum,
Tandem te edoctum magno decorauit honore
Impositis capiti sertis, sanctaq; corolla
Ambrosio, hæc nomen tibi mystica sacra Magistri
Imposuere, dabit semper tibi nomen honores.
Nunc patefacta tibi diuino oracula flatu
Proclama populo, peruersum linquere morem
Peccandi suade, neglectæ aperito salutis
Fontem, atq; auersos terre formidine pœnæ,
Inuitans rursus cœlestis amore parentis

Ad veniam, mandaq; fide sperare salutem.
Aspera sic sæuæ fortunæ tela cauebis,
Aut ictus reprimes constanti mente dolorem.
Hæc iussu Euterpes cecini, ratione poëtæ
Quæ canerent meliore alij, cum vilior huius
Ingenij vis sit, molesq; hæc alta laboris.
Ite bonis auibus, vos & clementia cœli
Excipiat, venti cum tempestate facessant,
Nullus ab occasu veniens pluuialibus hœdis
Verberet imber humum, valeat nimbosus Orion,
E valeant Hyades. Nunquam imprudentibus imber
Accidat, hæc animo memori si dicta notetis:
Si Boreæ de parte trucis vel fulminat, aut si
Euriq; Zephyriq; tonat domus, aëriæue
Aufugere grues, circumuolitauit arundo
Aut arguta lacus, ranæ aut cecinere querelam:
Vos conferte domum, nam tum pluuia atra sequetur,
Cœcaq; collisos conuoluent nubila fluctus:
Tum Baccho libate grauem cratera leuantes.
Sin stellis acies non nocte obtusa videtur
Sed claræ elucent, radijs non obruta luna
Fratris consurgit, nebulæ campoq; recumbunt,
Et magis ima petunt, rubet ac hyperione natus
Occumbens, non exercet fera noctua cantus:
Inuigilate viæ, nam tempestate subacta
Venti aderunt faciles vobis & amica Serena.

Festinate, vocat redeuntes patria voto
Sollicito, vobis multoq; applaudit amore,
Inq; Sinum recipit: vultu fortuna sereno
Vos vocat, & spondet fulgentes omine fasces
Felici, vobis populi sanctiq; fauorem.
Solliciti excipiunt reduces qui sanguine iuncti
Omnes cognati, vel queîs cum sanctior vsus
Dilectæ matres: dextras coniungere dextris
Sollicitæ exoptant, & vota ad sydera volunt.
Ite Deo tuti, Christus comitetur euntes
Immotus custos, circumuallata periclis
Vita laboriferis, ipso duce nulla nocebunt
Brachia latronum sæuo pallentia letho,
Non pestis, non insidiæ, non acre venenum
Aspidis, hic patriæ tutos vos limine sistat.

στενάζομεν βαρύθυμοι.

AD CLARISSIMVM VIRVM ERVDITIONE ET VIRTVTIBVS PRÆstantem D. Magistrum Seuerinum Schoth, Viteberga in patriam abeuntem.

Σὴν ἀποχώρησιν νοέοντ᾽, ἐμὸν αὐτίκα θυμὸν
ἄλγος ἱκάνει, ὁμῶς μετὰ φρεσὶν πένθος ἄλαστον:
ἡμῶν γὰρ γλυκερὸς καὶ χρήσιμος ἦν ὀαρισμὸς,
λευκορέῳ ζαθέῳ ἐνὶ εὐκτιμένῳ πτολιέθρῳ,
ὃν δή ἐγὼ οὐκ ἀποκήδησω, φαεσίμβροτος ἠὼς

μέχρις

ξις ἀπ' αὐτελίης θνητοὺς ἐπιδέρκεται ἡμᾶς.
Συμπάντων δὲ θεοῖο γέρας φίλος ἐστὶ μέγιστον
γνήσιος, ὃς πιστοῦ καὶ ἐτητύμου ἔμμορ' ἑταίρου,
ὡς κικέρων ἐν τῷ περὶ τῆς φιλίης ἀγορεύει,
ἀλλὰ σὺ ἀτρεκέως τοιοῦτος ἐών, μοι ἔδειξας
ὦ Σεβέρινε ἀεὶ τὸ ἀκιβδήλου παράδειγμα
τῆς φιλίης, τοῖος πυλάδῃ ἔυπιστος Ὀρέστης
ἤματα πάντα βίου φίλος ἐκ φρενὸς ἦεν ἑταῖρος.
εὔχομαι ἀθανάτῳ γουνῶν καὶ πολυόλβῳ ἄνακτι
Σοὶ ἀπιόντι θεοῦ ὑιὸς πάντ' ὄλβια δοίη,
ἡγεμονῆα ὁδοῦ πέμψοι τε καὶ ἄγγελον ἐσθλόν.
χαῖρε φίλε πραπίδεσσι ἐμοῖς, καὶ πάνποτε χαῖρε,
πασῶν ἠ' ἀργαλέων ἔκποθεν ζῆθι μεριμνῶν.

NICOLAVS LAVRENTIVS
RIPENSIS.



